6.

Σὺν τῷ Θεῷ.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

MEMORIA ET OBLIVIONE,

Autoritate

AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

in almâ Philyreâ

Pro

Inſignibus DOCTORALIBUS legitimè ac ſolenniter prid. Non. April. conſeqvendis

P. P.

à

L. JOHANNE ITTIGIO, SCHLEUSINgenſi Franco, Ariſtot. Organi Prof. Publ. & Minor. Principum Collegii Collegiato.

LIPSIÆ,

Typis TIMOTHEI RITZSCHI.

Anno

M DC XLIV.

Qvæſtio in ſolenni Promotionis Actu reſolvenda:

An memoria exercendo augeatur?

PRÆLOQVIUM.

MEmoriam Platonis Socrates in Theæteto Muſarum Matris Mnemoſynes donum; Deam præ aliis Diis adorandam ejusdem Critias in Critia, uterq; veri Dei ignarus, pronunciat. Divinam animæ facultatem deprædicamus & ipſi memoriam, non qvidem qvod Deæ alicujus donum aut Deam ipſam cum Platone ſtatuamus illam: Sed qvòd unicum adverſus rerum omnium ignorationem & oblivionem remedium à verô Deô hominibus datum eſſe novimus. Hæc namq; non Philoſophiam duntaxat, qvæ Hierocli Pythagorico humanæ vitæ purgatio eſt & perfectio; animi medicina & cultura Ciceroni; ſed omnis vitæ uſum, omnesq; artes & ſcientias una maximè continet. Hæc eſt, qvam Sapientiæ fontem & matrem ſcientiarum veterum ſapientiſſimi prodiderunt. Unde verſus, qvos Gellius Noctib. Attic. lib. 13. c. 8. *Afranio in togata, cui Sella nomen eſt, tribuit: Uſus me genuit, mater peperit memoria.*

Sophiam vocant me Graji, vos Sapientiam.

Qvamvis autem etiam Qvintiliano Inſtitut. Rhetoric. libr. 11. c. 2. *omnis diſciplina memoriâ conſtet, fruſtraq; doceamur, ſi qvicqvid audimus præterfluat: Eloqventiæ tamen imprimis eam vendicat. Unde non ſolùm eloqventiæ theſaurum memoriam appellat; ſed & qvanta ejus vis eſſet, qvanta divinitas illa, niſi in hoc lumen orandi vim extuliſſet, neſciri ait.*

Nec immeritò. Exemplorum enim, ut idem Qvintilianus habet, legum, reſponſorum, dictorum, beneq; factorum, qvæ velut qvasdam copias, qvibus abundare, qvasq; in promtu ſemper habere debet orator, eadem illa vis (memoria) repræſentat. Hinc Socrates ap. Pla-

 ton.

ton. Hermocrati peroraturo memoriam præcipuè invocandam, inq; hac Dea præcipua orationis momenta ſita eſſe dicit. Theologis ergò & Jureconſultis qvàm neceſſaria ſit memoria, vel hoc ſolum, qvod & ipſos oratores eſſe decet, ſatis evincit. A Medico licèt memoria propter oratoriam non æqvè reqviratur, ἀδολεσχὸς γὰρ ἰατρὸς νοσοῦντι πάλιν νόσος: *ratione tamẽ & experientiâ firmiſſimis Medicinæ fulcris nunqvã non incedat neceſſe eſt. Neq; verò ratio, neq; experientia ſine memoriâ conſiſtere poteſt. Non ratio: niſi enim memoria Species & phantaſmata conſervaret, & offerret intellectui, ratiocinari haudqvaqvam ille poſſet, atq; ex defectu materiæ mancus evaderet. Neq; experientia, ut modò ex Ariſtotele conſtabit.*

Ad utriusq; Lingvæ notitiam; ad ſubjecti corporis humani ſecundum omnes partes cognitionem; ad morborum ſcientiam, qvorũ Plinius jam tum ſuo tempore, qvos tamen qvotidie auctos luxurie Seneca ſcribit, nominatim genera trecenta, exceptis generum partibus prodita fuiſſe meminit; ad medicamentorum & auxiliorum ex metallis, mineralibus, vegetabilibus & animalibus petendorum infinitam ferè hiſtoriam; multam reqviri à Medico memoriam qvis eſt qvi neſcit? Rei ſummã, qvomodo ſcil. omnes Artes & Scientiæ ex memoriâ generetur, Ariſtoteles paucisſimis verbis comprehendit, & planisſimè explicat, qvando libr. 2 poſt. analyt. c. ult. *inqvit:* ἐκ αἰσθήσεως γὰρ γίγνεται μνήμη· ἐκ δὲ μνήμης, πολλάκις τοῦ αὐτοῦ γινομένης ἐμπειρία. αἱ γὰρ πολλαὶ μνῆμαι τῷ ἀριθμῷ ἐμπειρία μία ἐστίν· ἐκ δ᾽ ἐμπειρίας τέχνης ἀρχὴ καὶ ἐπιστήμης. *In ſpecie verò qvomodo experientia Medica memoriâ comparetur* lib. 1. Met. c. 1. *idem Philoſophus luculento declarat exemplo. Cum igitur memoria omnium, qvocunq; nomine veniant, Diſciplinarum genetrix exiſtat fertilisſima; ejusq; nobilisſima functio ad vitã cum dignitate traducendam maximè ſit necesſaria: eam floridã tueri, læſamq; reſtituere ex Arte ſi conabimur, inſtitutũ noſtrũ nemo, confido, improbabit.*

Memoriæ, omniumq; ſenſuum Autor & conſervator Chriſtus Jeſus cœptis noſtris feliciter annuat!

THE-

1. Medicina qvoniam, definiente Galenô *libr.* de Conſtit. Art. eſt τέχνη ὑγιείας μὲν οὔσης φυλακτικὴ, διαφθειρομένης δ' ἐπανορθωτική. Nosqve ambos hosce fines qvoad memoriam impræſentiarum, æqvè duximus obſervandos; Ariſtotelis utroqve parente ab Aeſculapii genere oriundi judicium ſi audiverimus, atqve de memoria, ut in naturali ſuo ſtatu poſita eſt, priùs, de ejus verò ab hoc ſtatu ad præternaturalem receſſu poſteriùs egerimus, officio noſtro ritè fungemur. Libro n. de ſenſ. & ſenſil. c. 1. τῶν ἰατρῶν τοὺς φιλοσοφωτέρως τὴν τέχνην μετιόντας, & lib. de Reſp. c. 21. τῶν ἰατρῶν τοὺς κομψοὺς καὶ περιέργους Medicos doctiuſculè Artem tractantes, elegantiores ac diligentiores vocat, qvi de natura dicunt, & Artis ſuæ principia inde ſumere dignantur. Phyſicos verò χαριεστάτους appellat eos, qvi tractationem naturæ usqve ad Medicinæ principia perſeqvuntur.

2. Qvæ verò ipſe Philoſophus de memoriæ natura, peculiari tractatu nobis reliqvit, & à nobis commodè hîc tractari poſſe videntur, in Definitionis ejus, Subjecti, cauſarum & Objecti conſideratione ferè conſiſtunt.

3. Hæcce conſideraturis, qvid vocabulum memoriæ ſignificet, & an memoria detur, præcognoſcendum forte an eſt? Sed ne de eo, qvod omnium conſenſu ſine controverſia receptum eſſe videtur, dubitantes multis admirationem moveamus, qvæſtionem an ſit hîc ſtudiô præterimus.

4. Vocabulum memoriæ qvid ſignificet, ſi ab ambiguitate illud liberabimus, liqvidò conſtabit. Denotatur autem illo 1. Facultas, qvâ imagines rerum apprehendere poſſumus: 2. Actus memorandi, qvem Ariſtoteles verbi μνημονεύειν appellatione à Facultate ſeparat: 3. Habitus ſeu notitia ipſa, rerum meditationibus & uſu acqviſita; & qvidem in hac ſignificatione in Specie Pars Rhetoricæ: 4. Objectum memoriæ, ſive res ipſa memoriæ commendanda: *Svetonius*: Auguſtus in memoria vitæ ſuæ: 5. Signum, qvod nos in alicujus rei memoriam deducit; inq; hac acceptione rurſus in ſpecie ſumitur pro cippo, vel columna mortui tumulo impoſita, in

qva elogium ejus inſcriptum erat, qvod nomen, patriam, parentes, profeſſionem, ætatem, mortis genus continebat: 6. Sepulcrum, cui cippus imponebatur; unde memoria Martyrum. De tribus poſterioribus hisce ſignificationibus ab inſtituto noſtro maximè alienis videatur Salmaſius in Exercitat. Plinian. in Caji Solini Polyhiſtora p. 1221.

5. Cùm igitur tot vocabuli memoriæ ſignificationes inveniantur, fieri non potuit, qvò minùs variæ qvoqve à Philoſophis & Medicis pro conſiderationis diverſitate definitiones memoriæ reperirentur.

6. Socrates, ap. Platon. in Philebo Σωτηρίαν αἰσθήσεως ſenſus conſervationem: Ariſtoteles lib. de memor. & reminiſc. Φαντάσματος, ὡς εἰκόνος οὗ φάντασμα, ἕξιν, i. e. habitum Phantaſiæ, vel imaginis ejus rei, qvæ imaginationi ſubjicitur. Cicero firmam animi rerum & verborum diſpoſitionis perceptionem definit Lib. 1. ad Herenn.

7. Ab Autore Definit. Med. κατοχὴ καὶ συντήρησις τῶν προκεκριμένων ἐν τῇ ψυχῇ, rerum dijudicatarum in anima detentio & conſervatio: à Galen. Defin. Medic. κατάληψις παρεληλυθότος, οὗ τὸ πρότερον ἐξ αἰσθήσεως κατελαμβάνετο, comprehenſio preteriti, qvod dum præſens erat, ſenſu fuit perceptum; & à multis aliis aliter definitur memoria.

8. Adductæ hæ Philoſophorum & Medicorum memoriæ definitiones, qvia eidem vel in 2. vel in 3. ſignificatione acceptæ competunt: Nos verò in primâ acceptione memoriam primariò hîc conſideramus; qvare eandem cum Hippoc. lib. 1. de Vict. rat. δύναμιν τὰ παροιχόμενα μνημονεύειν, facultatẽ, qvâ præteritorũ meminiſſe poſſumus; vel cum Scaligero Exerc. 307. ſ. 28. Facultatẽ animæ ad retinendum rerum imagines, i. e. phantaſmata: vel magis perſpicuè cum Keckermanno Curſ. Philoſoph. Diſp. 14. th. 23. Senſum interiorem, qvo animal ſpecies ſeu imagines à ſenſu communi receptas ac diſtinctas, & à Phantaſia judicatas per inſtrumenta in poſteriore parte cerebri ſive occipitio aut cerebello tanqvam temperatè humido & ſicco, atqve adeò ad recipiendum ſimul & retinendum opportuno recondit, & conſervat, & cum opus eſt Phantaſiæ iterum judicandas promit.

9. De

9. De Genere, qvod eſt δύναμις potentia ſeu facultas, qvæ & implicitè in Keckermanni definitione ponitur, cùm neminē dubitare audiamus, non eſt, cur multa dicamus. Sive enim peculiarem aliqvam animæ potentiam, à ſenſu communi & Phantaſia diſtinctam, tertium nimirum ſenſum internum ſtatuamus memoriam; ſive cum Philoſopho noſtro Libr. de memoria & Reminiſc. ἢ αἰσθήσεως, ἢ ὑπολήψεως ἕξιν ἢ πάθος ſenſus vel exiſtimationis habitum aut affectionem appellemus; ſive etiam cum Galen. lib. 2. de mot. muſc. eandem cum imaginatione adſtruamus, potentiam tamen & vim eam eſſe nemo negare eſt auſus.

10. Triplex memoriæ ſubjectum in hiſce definitionibus, in Hippocratis hominem, qvi ſubintelligitur, in Scaligeri animam, inq; Keckermanni animal poſitum deprehendimus. Ut verò, cur ita ſubjectis varient, conſtet: Ariſtotelem l. c. ſubjectum denominationis ſeu ut qvod, animal, non qvidem omne, ſed illud tantùm, qvod temporis ſenſum habet; ſubjectum verò informationis, vel ut vocant, ſubjectum ut qvo, illam animæ partem, qvâ ſentit animal, ſtatuere, præmittimus.

11. Hinc reſpondemus Keckermannum ſubjectum ut qvod, animal, Scaligerum ſubjectum ut qvo, animam poſuiſſe: Hippocratem verò non ut Phyſicum, animalis; ſed ut Medicum Artis ſuæ ſubjecti, hominis videlicet memoriam tantùm conſideraſſe, non obſtante hoc, qvod homo, non ut homo, ſed ut animal memoria ſit præditus. Εἰ γὰρ τῶν νοητικῶν τι μορίων ἦν, οὐκ ἂν ὑπῆρχε πολλοῖς τῶν ἄλλων (ἀλόγων) ζώων. Si enim in parte aliqva intellectus ſtatuenda eſſet memoria, neutiqvam multis è brutorum genere contingeret. Phil. c. l.

12. Audimus ſtatim nobis objici: in homine non ſenſualem tantùm memoriam, qva imagines, ſenſibus tum externis tùm internis cognitas, conſervat, qvæqve ipſi cum brutis eſt communis: ſed etiam intellectualem exiſtere memoriam, vim nimirum conſervandi imagines objectorum intellectu cognitorum, hancq; ſolùm hominem ſibi vindicare. Similem in modum, ut duplex in eo facultas cognoſcendi datur: una, qvam cum brutis communem habet, & ſenſus dicitur; altera, qvæ ſoli ipſi competit, atqve intellectus dicitur. Keck. Syſtem. Phyſ. lib. 4. c. 6.

13. Sit

Sit licèt duplex,ſenſualis & intellectualis, in homine memoria; qvia tamen intellectualis à ſenſuali memoriâ, non ſecus ac intellectus à ſenſu pendet; & καθ' αὑτὸ τοῦ πρώτου αἰσθητικοῦ, τοῦ νοουμένου δὲ κατὰ συμβεβηκός ἐστιν, per ſe in ſenſu principe,per accidens autem in intellectu conſiſtit: Medicus propterea neqve qvoad cauſſæ cognitionem,neq; qvoad curam, aliam deliberationem ſuſcipit.

14. In homine nunc propriam ſedem, qvæ potentiam ſentiendi per totum corpus diffuſam,ad hanc memorandi facultatem determinat,ut inqviramus neceſſe eſt.Una enim,ut inqvit Scaliger,eſt in nobis anima ſuis omnib⁹ undiq; ſtipata poteſtatibus,népe eſſentialibus ſibi: ubi verò inſtrumenta ſunt, ibi exercet actum ſuum ipſa poteſtas. Unde ſi oculus eſſet in digito: videret digitus per oculum, nullâ acceitâ à cerebrô potentiâ. Exer. 307. ſ. 37.

15. Proprium igitur ſubjectum in homine ad memoriam efflagitare animam certum eſt,qvodnam verò illud ſit non itidem eſt certum,nec eadem Philoſophorum & Medicorum eſt ſententia.

16. Galenus lib.3.de loc.affect.c.4. Archigenis ſententiam, qva cordi memoriæ ſedem attribuit,ejusqve in læsâ memoriâ inſtitutam curam maximoperè reprehendens,adeò manifeſtas de præcipuâ animi vi demonſtrationes eſſe dicit,ut omnibus ferè hominibus nota ſit,pars,qva reſidet,ſolis Medicis ſummisq; Philoſophis, qvi in corde eam collocant,non appareat. Demonſtrationes ipſas in Comment.de Hippocr.& Platon.decretis prolixiùs videre licet.

17. Ex operibus verò,qvæ rationali poteſtate affectâ laborantes faciunt,Caput propriam memoriæ ſedem aſſerit. Verum ex illa ratione,qvam anteà ex Scaligero adduxim⁹,qvod qvælibet poteſtas proprium reqvirat organon; Caput,in qvo tàm externorum,qvàm internorum ſenſuum organa diſtincta habentur, propriam ſedem non agnoſcimus,niſi forſan reliqvarum corporis humani partium reſpectu.

18. Cerebrum fortè propria memoriæ ſedes ſtatuenda erit? Vero valdè videtur ſimile. Sed idem nobis opponi ſubolemus,qvod nos modò Galeno. Licet enim cerebrum hoc ipſo,qvod non ſimiliter ut caput externorum etiam ſenſuum organa includat, propinqvius

ſub-

ſubjectum vel potius organon ſit: in hac tamen latitudine omnium etiam ſenſuum internorum ſedes exiſtit.

19. Officiorum ergò & functionum principum ordinis ratione habitâ œconomiam bonam inſtituemus, unicuiqve facultati certam in hoc domicilio ſedem aſſignaturi, & qvaſi penum: ita ut binos priores cerebri ventriculos ſenſui communi, exteriorum ſenſuum centro, Phantaſiæ medium, memoriæ ultimum, in cerebello nimirum, attribuamus.

20. Svadere hoc Philoſophorum & Medicorum, non dicam omnium, ſed tamen plurimorum & celeberrimorum veneranda autoritas videtur, nec non ſuppeditare ratio. Adeò conſtantem hanc ſummorum virorum ſententiam fuiſſe, vel indè colligitur; qvod ἰνίον, Os totam ferè poſticam & internam calvariæ partem conſtituens, Os memoriæ; ipſa verò memoria, Græcis παρεγκεφαλὶς, qvaſi appendix cerebri, vocari cœperit. Subminiſtrat hoc ratio: qvod eo in locô percuſſos ſubita rerum oblivio invadat.

21. Verum qvacunqve in parte cerebri memoriam collocemus, novam difficultatem incurremus oppidò. Species enim & imagines in materia ſi recipientur: materia unâ aut alterâ, vel etiam tertiâ aut milleſimâ ſpecie inducta plena fiet ac confuſa. Scal. Exerc. 307.

22. Janus Huartus Scrut. ingenior. c. 9. ſententiam hanc Ariſtoteli tribuit, dum ad Sect. 30. probl. 5. cur ſeniores ampliùs mente valeamus, juniores ocyùs diſcamus, reſpondet: Diſcimus ocyùs juniores, qvia rem fermè nullam tenemus. Cum enim res pleraſq; ſcimus, non æqvè præterea alias capere poſſumus. Qvomodo etiam meminiſſe melius ea valemus, qvæ manè primùm percipimus: deinde procedente die, memoria hebetamur, qvoniam multa jam perreptavimus.

23. Atq; ob hoc Ariſtotelem reprehendit Huartus, ac ſi ſtatuerit, ſunt verba Huarti, memoriam ſenum plenam eſſe tantis tot rerum figuris, qvas ipſi toto vitæ curſu viderint, audiverintq; : ut, qvod jam ultra ei conentur imprimere, ſpatium aliqvod ac locum non inveniat: At puerorum memoriam pauxillô ab ipſorum nativitate remotam ſpaciô, vacuam etiamnum eſſe, atqve aliâ re nulla occupatam: qvæ & ratio ſit, qvare ii promtè recipiant id omne,

B qvo

qvo informantur. Item man è multò nos feliciùs diſcere,qvod memoria adhuc ſit vacua; ſerò vero difficiliùs rem ediſcendam imprimere,cum ea jam tum ſcateat rebus,qvæ toto die elapſo animum occuparunt.

24. Opinionem hanc firmo talo non niti, ut Huarto concedamus: propterea qvod figuræ inſenſibiles ac ſpirituales, nec locum complere,nec vacuum relinqvere posſint. Eam tamen, ut ille explicat genuinam eſſe Ariſtotelis l.c.ſententiam,cùm libr. de Memor. & Remin.aliter ſentire nobis videatur,nonnihil ambigimus.

25. Intelligens Huartus,qvòd,etiamſi inſenſibiles ac ſpirituales ſpecies ſtatuat,nondum tamen in apricô ſit & manifeſtum, qvî fieri posſit, ut figuræ,tantâ copiâ in cerebrô concurrentes, ſeipſas non exſtingvant atqve aboleant; cum hoc fiat in cerâ, ſi variarum figurarum ſigilla imprimantur.

26. Ad hoc replicat: non eodem modo fieri impresſionem ſpecierum in cerebrum, qvo figurarum in ceram: niſi id fortè per qvandam penitrationem fiat,dum figuræ ſedem ibi fixam qvaſi naſcuntur: aut eo modo, uti aves glutini implicitæ hærent: aut uti muſcæ melle ſe velut incorporant.

27. Ut qvicqvid nos opinemur, & cum qvibus hac in re ſentiamus,non diſſimulemus ampliùs: non in poſticâ tantâm cerebri parte,cerebellô ſc. ſed & per reliqvas cerebri partes & ventriculos memoriam reſidere putamus,adeò nullam tamen inde reliqvarum facultatum confuſionem metuentes,ut potiùs per hanc unionem juvari illas exiſtimemus. Atqve in hoc à Keckermanno,qvi in definitione ſua,qvam ſupra appoſuimus, cerebellum tantùm memoriæ ſedem aſſignavit, paululùm recedimus.

28. Qvod verò dum aſſerimus,non hoc volumus,ac ſi ipſi medullæ cerebri inhæreant ſpecies perceptæ, hoc enim ut idem Keckermannus Curſ.Philoſ.Disp.14.probl.10.ex Chaſmanni pſÿchol. allegat,nec materiæ iſtius ineptitudo permittit, nec,ſi illa utiqve permittat,ad ſenſum magnoperè facit. Species enim cum pernicisſimè moveri oporteat,cerebrum ob torporem & craſſitiem ſuam immobile perſiſtit.

29. Hoc potius eſt,qvod diſertè pronunciamus Rerum ſenſibus externis objectarum primùm,ab internis deindè dijudicatarum, &

ab

ab omni terrenâ labe purgatarum, attenuatarum ac veluti per externos & internos ſenſus cribratarum, nec non à Phantaſia ipſa excogitatas ſpecies à ſpiritibus tanqvam in terſô lucidoq; ſpeculo recipi; Spiritus verò hos ſpeciebus qvaſi imprægnatos nervis hinc inde per totum cerebrum, præcipuè verò in poſticâ ejus parte ſparſis, cuſtodiri, foveri atqve temperari. An verò anima in ſpiritibus ſimulacra contempletur, qvando opus habet; an potius ipſa in ſe ſuſcipiat, opinari magis, qvàm certò ſtatuere, licet. Cum præſertim in hac materia aliorum ſententias oppugnare paratius ſit, qvàm ſuam tutò alienis committere judiciis.

30. Cerebrum ergô remotum memoriæ ſubjectum, nî mavis dicere organon, ut ſpiritus animales memoriæ convenientes, i.e. ſubſtantiâ ſuâ ſubtiles; qvalitatibus moderatè calidos & ſiccos; lucidos & claros: qvantitate ſufficientes; eosqve non coarctatos & coanguſtatos; neqve tamen etiam diſperſos aut interruptos præparet, generet atqve contineat, ipſum benè diſpoſitum ſit, neceſſe eſt.

31. Ad cerebri hanc diſpoſitionem Sennertus Lib.1. p.2.c.5. Pract. Medic. tria reqvirit: 1. bonam temperiem, ad qvam & occultas qvalitates & modum ſubſtantiæ refert: i. e. ſubſtantiam tenuem & ſubtilem non craſſam: & ut firma ac ſtabilis ſit cerebri ſubſtantia, (libr.2.p.3. Sect.2.cap.3.Inſt.Med.) ſiccitatem cum moderatô calore conjunctam: vel ut negativè deſcribit; cerebrum qvod nec calore deſtituitur nec humiditate abundat. Unde etiam Scaliger Exerc. 307. ſ.28. ſicco juvari memoriam per privationem, tradit. 2. Juſtam qvantitatem & conformationem. 3. Unitatem.

32. Huartus ſcrut. ingen. c.9. reſp. ad 5. Argum. ejusmodi cerebri conſtitutionem reqvirit, in qva cum moderatô calore humiditas, non qvidem aqvea, ſed aërea, pingvis & oleaginea, calido & humido innato ſimilis, inveniatur. Qvam ſanè temperiem illam ipſam putamus eſſe, qvam Sennertus qvoqve efflagitat. Sed in hoc cum Huarto diſſentim9, qvod in ipſo cerebro ſpecies propter hanc temperiem faciliùs recipi & diutius ſervari ſatagit.

33. Magna bonæ memoriæ inq; naturali ſtatu poſitæ ob cerebri & ſpirituum conſtitutionem eſt latitudo, & multæ illius ſunt differentiæ: Jacob. Horſt. Diſp. de memor. conſerv. Unam optimam atq; ad junctam facit memoriam, qvæ ſc. ex conſtitutione cerebri optimè

mè temperatâ profluat,ita tamen,ut paululum ad frigidam & ſiccam intemperiem, unde cerebrum firmatur & ſpiritus ſtabiliores redduntur, declinet.

34. Præter hanc octo alias memoriæ bonæ differentias pro diverſitate unius temperatæ, & ſeptem intemperatarum complexionum cerebri,tum ſimplicium qvatuor, ubi una qvalitas ſaltem excedit,tum compoſitarum trium,ubi duæ ſimul qvalitates excedunt, conſtituit.

35. Nos,qvia tàm exactè illas in homine cognoſcere, qvàm fortè excogitare,vix licet, Optimam & ad juſtitiam memoriam cum illo qvidem in dictâ cerebri conſtitutione ponimus: A functionum autem memoriæ,in definitione Keckermanni adhibitarũ diverſitate, ab apprehenſione ſcil.retentione & redditione, tres primarias memoriæ bonæ elicimus differentias.

36. Prima,qvæ & reliqvarum norma, in omnibus hisce actionibus, receptione facili, retentione diuturnâ, & promtâ ſpecierum redhibitione conſpicua eſt. Et reqvirit temperiem cerebri & ſpirituum vel exactè temperatam, vel ab ea paululum recedentem. Altera facilè recipit, ſed non fideliter nec ita diu retinet. Tertia non ita facilè recipit,diutius autem & majori fidelitate ſpecies ſemel receptas retinet. Illa à cerebri ſpirituumq́; caliditate & humiditate: Hæc ab eorum frigiditate & ſiccitate magis promanat.

37. Philo Judæus libr.de Agricult.bonam memoriam vocat non illam, qvæ ſpecies facilè retinet, ſed qvæ bona retinet: *μνήμη δ' οὐ πᾶσα ἀγαθὸν, ἀλλ' ἡ ἐπὶ μόνοις τοῖς ἀγαθοῖς· ἐπεὶ τόγε ἄληστα εἶναι τὰ κακὰ, βλαβερώτατον.* Memoria non qvævis bona eſt, ſed ea ſola, qvæ rerum bonarum meminit. Malarum enim non oblivisci maximè nocet.

38. Qvod autem ab his memoriæ bonitas dependeat, & qvomodo,ut uberius demonſtremus, memoriam in præternaturali ſtatu poſitam, conſiderabimus: Hoc enim modo & contraria juxta ſe poſita eluceſcent magis; & tædioſam *ταυτολογίαν* evitabimus unà.

39. Anteqvam verò eò progrediamur, de Memoriæ objecto, qvod ſpecies rerum ſenſibus cognitas & Phantaſmata eſſe ex dictis ſatis conſtat, notare libet: qvod Autor Definit. Medic. *τῶν, προεγκειμ-*

μένων

μένων: Galenus τοῦ παρεληλυθότος· Hippocrates τῶν παρῳχημένων nomine in definitionibus ſupr. c. indicent, inq; hoc cum Philoſopho noſtro ſint ὁμόψηφοι. Ita enim ille libr. de memor. τοῦ νῦν ἐν τῷ νῦν οὐκ ἔστι μνήμη· ἔστι γὰρ τοῦ μὲν παρόντος αἴσθησις· τοῦ δὲ μέλλοντος ἐλπίς· τοῦ δὲ γενομένου μνήμη. διὸ μετὰ χρόνου πᾶσα μνήμη. It. Neqve futura meminiſſe poſſumus: ſed opinari, vel ſperare; qvo etiam in genere ſcientia præſagandi habetur, qvam nonnulli μαντικὴν divinationem appellant. Neqve inſtantia memoria complecti ſolemus: ſed ſenſu. Nam ſenſu neqve futura, neqve præterita cognoſcimus, ſed duntaxat præſentia. Præterita verò mandari memoriæ qveunt. Qvod autem præſens eſt, cum adeſt, ut hoc album, cum cernitur oculis, nemo ſe meminiſſe dixerit: ſed nec qvod contemplatur, cum aliqvid animo verſat ſpeculaturq;: ſed alterum ſentire ſolum, alterum diſcere ac meditari. At cum ſcientiam ſenſumve ſine actione tenet, tum demum meminiſſe qvippiam creditur, ceu triangulos trianguli duobus rectis pares eſſe: tum qvia id aliqvando ſpeculatus eſt, aut condidicit: tum qvia ita accepit, aut vidit, aut cujuspiam ſenſus operâ deprehēdit. Semper enim cum qvis aliqvid meminit, ſecum dicat oportet, hoc ſe aliqvando audiviſſe, aut ſenſiſſe, aut deniqve intellexiſſe. hactenus Ariſt.

40. Unde Alcinous de Doctr. Platon. ὁπόταν ἐν τῇ ψυχῇ διὰ τῶν αἰσθητηρίων κατὰ τὴν αἴσθησιν τύπος ἐγγένηται, ὅπερ ἐστὶν αἴσθησις, ἔπειτα οὗτος μὴ διὰ χρόνου πλῆθος ἐξίτηλος γένηται, ἀλλ' ἔμμονος καὶ σωζόμενος, ἡ τούτου σωτηρία μνήμη καλεῖται, i. e. Qvando animo per inſtrumenta ſenſuum rerum forma ſentiendo fuerit impreſſa, & ita qvidem ut temporis non deleatur ſpatio, ſed diuturna conſervetur ac firma; hujus conſervatio memoria nuncupatur.

41. Memoriam inter & Oblivionem media atqve ex utraqve mixta videtur ἀνάμνησις Græcis, Latinis recordatio dicta. Id qvod Philo Judæus de nominum mutatione pag. 821. eleganti comparatione duorum filiorum Joſephi, Ephraimi & Manaſſis, cum duobus natu maximis Jacobi filiis Rubeni & Simeonis declarat.

42. Annon aptè, inqvit, & concinnè, Indoli qvidem bonæ Memoria; Diſciplinæ verò Recordatio congruit? & ſanè qvam rationem habet Simeo ad Rubenum, hoc nimirum eſt, Diſciplina ad Naturam. Eandem qvoq; habet Manaſſes ad Ephraimum, id eſt, ad Memoriam Recordatio. ὡς γὰρ τὸ εὐφυὲς ἄμεινον τοῦ μανθάνοντος· οὕτω τὸ μνημονικὸν τοῦ ἀναμιμνησκομένου πανταχοῦ κρεῖττον. ὅτι τὸ μὲν λήθῃ κέκραται, τὸ δὲ ἀμιγὲς καὶ ἄκρατον ἐξ ἀρχῆς ἄχρι τέλους διαμένει. Ut enim qvod Indole præſtat, melius eſt eo, qvod diſcit: Ita qvod memoria valet, ei qvod recordatur, ubiqve antecellit, propterea, qvia recordatio oblivioni mixta eſt: Memoria verò ſincera & pura ab initio ad extremum usqve permanet. Qvibus ſanè verbis, qvô memoria, reminiſcentia & Oblivio differant, non obſcurè innuitur.

43. Ariſtoteles c.2. lib. de Memor. & Rem. Memoriam & Reminiſcentiam, causâ efficiente, Objectô, Subjectô, formâ & fine diſtinxit. Qvæ cum hujus loci non ſint, idq; eò magis, cum non iidem memoriâ præcellant, & facilè reminiſcantur. Sed magnâ ex parte qvi tardô hebetiq; ſunt ingenio *μνημονικώτεροι* ſunt: qvi celeri ac docili *ἀναμνηστικώτεροι*: ad Philoſophum Lectorem ablegamus; ad alteram disputationis noſtræ conſiderationem, de Oblivione deproperantes.

De Oblivione.

44. Memoria læſa, Oblivio Latinis, ab Oblino. Voſſ. de Voc. analog. lib. 3. c. 47. procul dubio, qvod, qvemadmodum in ceram impreſſæ & papyrum inſcriptæ imagines & depictæ literæ: ita qvoqve rerum Phantaſmata & imagines, in cerebrum infixæ, delinirentur rurſus. Græcis vero λήθη à λήθω lateo dicta, qvod qvaſi denſâ vaporum & tenebrarum nube involvantur, atqve lateant perceptæ rerum imagines.

45. Eſt verò Oblivio læſio facultatis Principis, qvâ ob Cerebri & Spirituum animalium præternaturalem diſpoſitionem, vel non vel malè meminimus.

46. Qvamcumqve, etiam principem animæ functionem hanc, qvâ præteriorem meminimus, triplici modo, vel per omnimodam

ab-

ablationem, vel per imminutionem, vel per depravationem lædi atqve offendi poſſe, vulgò à Medicis traditur.

47. Abolitionem memoriæ fieri dicunt, qvando nihil eorum recordamur, qvæ vel ſenſibus percepimus, vel intellectu cognovimus. Imminutionem ubi parum, tardè, difficulter & qvodammodo dimidiatè: Depravationem, ubi alio modô, tempore ac locô, qvàm res contigerint, meminimus.

48. Qvod Abolitionem Memoriæ attinet, non pauca paſſim obſervata deprehendimus apud Autores exempla. Meſſalam Corvinum Oratorem, integris licet exiſtentibus reliqvis ſenſibus, â morbô proprii nominis oblitum fuiſſe Plinius prodidit. lib. 7. c. 24. Imperatorem Caracallam, licet in Juventute ſuâ pro Philoſopho fuerit habitus, tantam rerum omnium & literarum oblivionem cepiſſe, ut nunqvam qvicqvam didiciſſe, imò ne literarum nomen unqvam audiviſſe, videretur, Suidas ſcribit.

49. Plura alia collegerunt Schenckius lib. 1. Obſerv. 128. & ſeq. Senn. Pract. Med. lib. 1. p. 2. c. 5. qvæ qvi deſiderat ibi & paſſim apud alios cognoſcere poteſt.

50. Memorabile atqve notatu dignum hîc cenſemus illud, qvod Gal. lib. de Sympt. diff. allegat & apud Thucidydem lib. 2. de bello Peloponneſ. lib. 2. deſcribitur, cujus integrum locum adſcribere lubet, ut qvid cauſæ communis illius calamitatis fuerit, cogitandi occaſionem arripiamus ipſi, & præbeamus aliis.

Peſtilens, inqvit, morbus ſecundo belli annô Athenienſes invaſit, qvô pleriqve ſeptimô aut nonô die, adhuc aliqvantum firmô corpore, ab釋 internô fervore extingvebantur, qvi ſuperaverant, deſcendente in ventrem morbô & exulceratione in eo vehementi exortâ, ac inſuper magnô profluviô accedente, paulò poſt ipſa debilitate pleriqve interibant. Pervadebat enim totum corpus, ſumto à ſuperioribus partibus initio, malum illud, cui prima in capite ſedes fuerat. Unde ſi extremitates corporis arripuiſſet, argumento erat, eum hominem maxima pericula arripuiſſe. Prorumpebat enim in verenda & ſummitates manuum pedumq;: qvibus nonnulli amiſſis, evaſerunt; itemq; & oculis. Qvosdam & oblivio capiebat pariter omnium, cum ex morbô ſurgebant: ita ut neqve neceſſarios, ne ſeipſos agnoſcerent.

51. Mor-

51. Morbum hunc Lucret. libr. 6. verſibus deſcripſit, ex qvô hosce huc apponimus:

Atqve etiam qvosdam cepere oblivia rerum,
Cunctarum, neqve ſe poſſent cognoſcere ut ipſi.

Cauſas hujus morbi, qvas Thucydides aliis disqvirendas permiſit, Diodorus Siculus lib. 12. percenſet. Et Hippocr. lib. 3. Epid. medicè deſcribit.

52. Symptomata hujus ſymptomatis, abolitæ nimir. memoriæ ſunt ἄνοια ϗ μώρωσις, i. e. ſtoliditas & amentia. Intellectus enim & ratio, ut in prooemio diximus, materiâ, de qva poſſint judicare, ferè deſtituuntur.

53. Imminutæ memoriæ exempla qvotidiana ſunt, & nemini ferè non, non dicam domeſtica, ſed paſſim obvia. Ubi tamen magnam memoriæ imminutæ latitudinem eſſe & varias differentias deprehendimus.

54. In genere memoriam imminutam cenſemus, qvando adhuc meminiſſe poteſt homo, ſed minùs qvàm homini ex uſu ſiet; vel etiam minùs qvàm anteà conſvevit.

55. In ſpecie vero Eorum qvi non benè meminerunt, 1. alii facilè qvidem rerum qvarumvis objectarum imagines recipiunt, receptas verò ocyſſimè dant oblivioni. 2. Alii tardi ſunt & ſtupidi ad recipiendum rerum imagines: iisdem verò diu conſervandis ſunt tenaciſſimi & fideliſſimi. Cat. Maj. Ut literis admotus eſt, ſtupidus erat ad percipiendum & tardus: at qvod ſemel percepiſſet, id retinebat, neqve dabat oblivioni. 3. Alii leviora tantùm apprehendunt & cuſtodiunt, qvæ verò majori indigent conſideratione, ne apprehendunt unqvam. 4. Alii contrario planè modo ſe habent. 5. Alii indifferenter qvidem ſe ad leviora & graviora habent, ea verò ex parte conſervant, ex parte obliviſcuntur. 6. Alii vix ac non niſi poſt longum temporis intervallum paucarum rerum recordantur. Qvod Oratori cuidam contigiſſe dicunt, qvi cum aliqvoties tria propoſuiſſet, aut qvartum addidit, aut tertium qvæſivit, idq́; non niſi magna cum difficultate invenit.

56. Depravata memoriæ functio an detur, inter Autores Medicos non leve videmus eſſe diſſidium. Unde in Oblivionis definitione noſtra vocabulô malè, qvod qvidem de iṁinutâ & depravatâ

actio-

actione dici poteſt, at indeterminatè uti, & problema hoc diſputationi annexum in ipſo Promotionis actu, qvàm hîc uberius tractare, maluimus.

57. In abolitæ & imminutæ memoriæ, qvæ uno oblivionis nomine veniunt, cauſas inqviremus unà, ſiqvidem gradibus tantùm differre, ac per majorem ac minorem læſionem diſcrepare illas putemus.

58. Cauſam verò oblivionis in genere cerebri & ſpirituum præternaturali diſpoſitioni attribuimus: ſicut & ex debitâ & convenienti eorum diſpoſitione memoriam exiſtere diximus ſuprà.

59. Hercules Saxoniæ lib.1.Pract. Med.c.6. de læſion. memoriæ, non tantùm inſtrumenta, ſed etiam ipſam Facultatem & Objectum in cauſarum oblivionis numerum adducit.

60. Objecta conſtituit duplicia; alia, qvæ non habent conditiones individuales; ut ſunt ſtudia literarum, ad intellectum potiùs qvàm ad ſenſum pertinentia: Alia verò qvæ ejusmodi conditiones individuales habent & magis ſenſibilia ſunt. Illa non fortiter imprimi in ſenſum, ideóqve difficiliùs etiam retineri; hæc vero ob ſenſibilem ſuam naturam, à ſenibus etiam atqve pueris fortiùs imprimi atqve diutius retineri contendit.

61. Sennertus lib 2.p.3.ſ.2.cap.5.de Cauſ. Sympt. ſenſ. internorum. & ipſe ab Objecto, ſi ſe non rectè habeat, memoriam lædi exiſtimat: ſi nimir. ab innumeris penè ab imaginatione & ratiocinatione ſuppeditatis imaginibus, memoria à ſuo munere diſtrahatur & avocetur. Idq; non tantùm in morbis cerebri calidis, ut phrenitide, ſed etiam in ſanis conſpicuum evenire ait: ſi nimirũ fortuito aliqvo objecto ſubito à meditationibus ſuis vel narratione avocantur, ita ut reliqvam narrationis telam texere obliviſcantur.

62. Verùm licet non negemus Objecta ſ. materiam memoriæ circa qvam ex altera parte eſſe qvaſi efficientem; Objecta ſiqvidem ſenſus movere certum eſt; atqve ratione illorum ipſum memorandi actum poſſe ſæpius promoveri & impediri: ipſam tamen memorãdi facultatẽ propterea nõ concedim⁹ per ſe lædi. Sicuti nec oculũ dicimus læſũ, qvod διαφανὲς non videat. Si autem objecta poſtmodum alterationem qvandam in organo cauſantur, ad externas cauſas ea rejicimus.

63. Nec eſt, qvod facultatem læſam ab organo læſo, niſi forſan ratione, diſtingvamus: ſiqvidem cum tria ad memoriæ actionem reqvìrâtur, agens, principale, ſ. qvod agit: Organum qvo agit, & objectum circa qvod agit. Agens verò principale memoriæ ſit anima, nulli alterationi obnoxia; ſemperq; facultate ſua & ubiqve prędita modò conveniens organon inveniat, atqve ſi cum his objectum itidem conveniens concurrat, actio fieri posſit; non eſt, cur diſtinctim in facultatis & Organi diſpoſitione cauſam læſæ memoriæ qværamus. Cum illa ipſa organi diſpoſitio, animæ facultatem conſtituat proximam.

64. In ſolo igitur Organo proximo, ſpiritib. ſc. hisq; propinqvô cerebrô cauſam Oblivionis proximam qværimus & continentem.

65. Nec operoſum erit inveſtigare easdem, poſtqvam de memoriæ bonæ cauſis ſumus certi ex dictis. Memoriam lædunt oblivionemq; inducunt; cauſæ illi contrariæ, Spiritus nimir. ſubſtantiâ craſſi. intemperie humidi, frigidi inprimis, nõnunqvam etiam ſicci; turbulenti & fuliginoſi, qvantitate deficientes, coarctati & coanguſtati, aut etiam diſperſi & interrupti.

66. Cerebrum E. Spiritibus animalibus præparandis, generandis atqve pro functionibus animalibus retinendis conſtitutum inſtrumentum, memoriam lædet, qvando ab ἰδιοσυγκρασίᾳ & ſubſtantiæ ſuæ modo (ut vocant) recedens nimis craſſum & materiâ excrementitiâ impurum exiſtit; intemperie ferè qvavis plus juſto excedente, frigida verò cumprimis, eaqve vel ſimplici, vel cum humiditate, vel cum ſiccitate conjuncta, vel cum vel absq; materiâ laborat; durum nimis vel nimis molle; vaporibus & humoribus repletum; parvum nimis aut nimis magnum; male conformatuma tq; unitate ſolutum exiſtit.

67. Craſſi namqve ſi ſint ſpiritus & fuliginoſi ſ. ut Socrates Platon. in Theæt. loqvitur: qvando denſum alicujus eſt cor (ſubjectum intelligens, in qvod imagines imprimuntur) vel cum lutulentum nec ex defecatâ cerâ, non rectè omninò ſe habet: & rurſus, qvi denſam & aſperam, lapideamq; vel terream vel feculentam ceram habent, obſcura ſimulacra continent: obſcura qvoqve qvi duram: profundi-

tas;

ṙtas qvippe non adeſt. Obſcura præterea, qvi molliorem: nam ex confuſione facilè evaneſcunt.

68. Qvemadmodum enim aqva perturbata nullas imagines, vel ſi non ultimè perturbata obſcuras imagines recipit: ita qvoqve ſpiritus craſſi, turbulenti & fuliginoſi vel nullas, vel obſcuras facileq; evaneſcentes imagines recipiunt.

69. Ita Ariſt. libr. de memor. in hiſce qvos præ affectione aliqva aut ætate multiplex motus exercet, memoria nō fit, qvaſi mot⁹ & ſigillū in amnem profugum incidat. In aliis verò ne impreſſio qvidē afformabit, alliniturq; ob partis, qvæ affectionem excipere debeat, algorem duritiemq;. Proinde tàm pueri, qvàm ſenes immemores ſunt: propterea qvod alteri ob accretionem, in qvodam qvaſi fluxu ſint: alteri ob decretionem. Pari qvoqve modo carere memoriâ videntur, tum qvi præceleres & impendio volucres ſunt, tum qvi admodum tardi ſtupidiq;; nam hi qvidem humidiores ſunt, qvàm par ſit, illi verò retorridiores. Primi ergò, viſorum impreſſionem ſervare ac retinere non poſſunt: alteri recipere.

70. Scaliger Exerc. 307. ſ. 28. Sicco dicit juvari memoriam per privationem. Propterea qvod in humido cerebro multi Spiritus commeantes, ſe tanqvam circuli in aqva, ſecant. Qvod fit etiam in ſiccis cerebris, ſi ſunt bilioſa, propter Spirituum mobilitatem. Itē interponuntur in humido cerebro multa, videlicet inter intellectum & ſpecies ſervatas: qvæ ſi ſint craſſa fit oblivio: ſi mobilia, fit dilatio recordationis: atqve ibi reminiſcentia: cum removentur intercedentia impedimenta. Atqve rurſus. Non igitur eſt oblivio abolitio ſpecierum, ſed disjunctio actus intellectus ab ipſis per otioſos, aut nimium negotioſos vapores, ſubeuntes atqve inſinuantes ſeſe. Otioſi ſunt: cum haut recordamur. Alieni, cum alia ſe obviam dant. Ita in puero multa excrementa: in ſene etiam aliena.

71. Qvæ ſanè ex Platone, Ariſtotele & Scaligero adducta loca oblivionis cauſas plerasqve, earumq; modos, qvibus oblivionem cauſantur ad vivum exprimunt, ita ut ulteriori explicatione vix egeant. Qvia tamen circa intemperiem curandam potiſſimùm verſatur Medicus, de illa, & hac occaſione de cerebri conformatione & magnitudine nonnihil adjiciemus.

72. Ludovic. Mercatus lib. 1. de inter. morb. cur. c. 19. cæterarum animæ potentiarum ſoli memoriæ contingere dicit, ab omnibus qvatuor intemperiebus lædi. De frigiditate, qvæ in hoc affectu eſt primaria, & humiditate, ſive ſimplices, ſive conjunctæ; cum vel ſine materiâ ſint, nullum eſt dubium, neqve etiam de ſiccitate, præſertim ſi frigori ſit juncta.

73. Frigidam enim intemperiem animales actiones torpidas efficere Galen. lib. 3. de l. aff. c. 4. ab animalibus, qvæ per frigora latere coguntur; à medicamentis item ac frigidis cibis argumentum ſumit.

74. Mercatus ſolam frigiditatem, ex toto memoriam auferre natam eſſe, ſtatuit, idq; propterea: qvod frigoris proprium munus ſit extingvere qvod præeſt, & impedire ne aliqvid aliud de novô recipiatur: qvippe cerebrô exiſtente frigidô, ob extinctionem imaginum nullus inſuper fiat imaginum curſus aut recurſus ad imaginativam potentiam; & ob id defectu materiæ homo immemor fiat & amens.

75. Qvod tamē nō de qvavis frigiditate, ſed eâ ſolùm, qvæ condenſandi & extingvendi, immobilesq; reddendi illius partis ſpiritus, ac cerebri ſubſtantiam ſolidandi vim habet, ne rerum imagines imprimantur aut referantur, intellectum cupit.

76. Diſtingvendum hîc cenſemus cum Sennert. Pract. Med. lib. 1. p. 2. c. 5. inter frigiditatem cerebri poſitivam & privativam. Poſitivam dicimus, qvando frigus præternaturale ipſi cerebro inhæret, cui, ſi ſit intenſum, condenſationem ſpirituum, de qva Mercatus, adſcribimus. Privativam appellamus illam, qvæ non tam in frigoris ſenſibilitate, qvàm in caloris nativi, qvo anima tanqvam communi naturæ inſtrumento in actionibus animalibus præcipuè utitur, defectu conſiſtit.

77. Intemperiem hanc frigidā qvæ inducunt 1. ſunt refrigerantia & alterantia ſive aſſumantur, ut aër, qvi partim per nares attrahitur, partim caput ambit; potus, cibi & medicamenta frigida aſſumta. 2. calorem ſuffocantia. 3. diſſipantia & 4. pabulum eidem ſubtrahentia. Qvarum tamen poſteriorum tres privativam frigiditatem, prima poſitivam magis inducit.

78. Frigiditas privativa nonnunqvam connata eſt, non adſcita

poſt

poſt ortum. Atqve vel à calore in qvantitate, vel in qvalitate deficiente nata.

79. In qvantitate deficiens calor morbum nonnunqvam magnitudinis ſeqvitur. Nimis enim magnô exiſtente cerebrô, calor, qvi alioqvin in modicâ qvātitate cerebri ad actiones animales ritè obeundas ſufficeret, diſperſꝰ lāgvet: parvô nimis exiſtēte cerebrô calor non tantùm paucus adeſt, qvi facilè diſſipatur; ſed & ſpiritus coanguſtantur. Qvo Socrates ap. Plat. in Theæt. reſpicit, inqviens: Ἐὰν ἐπ' ἀλλήλων συμπεπτωκότα ᾖ ὑπὸ στενοχωρίας, ἐὰν δὲ σμικρὸν ᾖ τὸ ψυχάριον ἔτι ἀσαφέστερα ἐκείνων. Qvod ſi qvoqve congeſta ſint (ſimulacra) ob ſedis ipſius anguſtiam, ſiqvidem exigua ſit animula, obſcuriora qvoqve ſimulacra fient. Qvod de capitis qvantitate modò diximus, id de capite in proportione ad reliqvum corpus, non abſolutè dictum volumus.

80. In qvalitate calor à Sennerto Pract. Med. l. c. deficere dicitur in infantibus, propterea qvod calor ille à nimiâ humiditate obtundatur. Attamen qvia infantium natura ejusmodi diſpoſitionem cerebri reqvirit, eamqve ſine ſanitatis læſione alterare non licet, in cauſarum morbificarum numerum eam referre non lubet.

81. Humiditas & ſiccitas memoriam qvod lædant, & qvomodo eam lædant amplius dubium non eſt. Cauſas vero habet humiditas antecedentes aërem humidum; cibum & potum humectantes, ſomnum juſto longiorem, vitam otioſam, accubationem ſub Lunæ plenæ radiis, medicamenta humectantia, &c.

82. Siccitatem excitant ſub ſolis calore commoratio, ejus rei exemplum Galen. de loc. affect. c. 5. de vinitore qvodā refert: thermarum uſus, ciborum calidorum eſus, evacuationes, vigiliæ nimiæ, inedia, exercitia, animi perturbationes, &c.

83. Marſilius Ficinus lib. 1. de tuenda ſan. c. 7. inter reliqva qvæ memoriæ nocent, pituitam, atram bilem, Venerem, ſatietatem & ſomnum matutinum præcipuos ſtudioſorum hoſtes declarat. Summè qvoqve noxium habetur, nudis pedibus per lutum & aqvam frigidam incedere.

84. Ob laborem in ſtudiis qvendam memoriam penè amiſiſſe Galenus l. c. c. 5. teſtatur Tincav. libr. 1. Conſil. 21. de Vertigine, Doctorem qvendam ex nimio ſtudio frigidum & humidum factum, ac pi-

 tui-

ituitâ in capite relictâ memoriam leviter læſam & diminutam acce-
piſſe tradit.

85. Venena, qvale illud fuiſſe exiſtimant, qvod à Circe Sociis U-
lyſſis exhibitum; cerebrum felis comeſtum, philtra amatoria &
narcoticorum uſus ſiniſter memoriam abolere qvoqve poſſunt.

86. Φοξοὺς κεφαλὴν, qvi acuminato ſunt capite & faſtigiato, memoriâ non pollere, conſtat. Talis ap. Homer. Iliad. β. Therſites deſcribitur.

87. Vulnere, caſu ex alto, & percusſione, ſi cerebri unio ſolvatur, concutiatur, materiâ repleatur, vel abſceſſum pariat, memoriam qvoqve lædi, experientia comprobat.

88. In cauſarum numerô ultimô monere hîc placet, ſenes non tantùm ob caloris nativi defectum & cerebri intemperiem memoriâ laborare; ſed etiam, difficiliùs res memoriæ mandare, propterea, qvod novæ illis non videantur, adeoqve neqve admirationem, qvæ attentionem, atqve hęc fidelem adprehenſionem, & tandem firmam memoriam in iis excitet. Cum pueri res novas magnâ non ſolùm admiratione, ſed cupida etiam attentione audiant, atqve propter hanc ipſam memoriæ profundiùs imprimant atq; retineant. Atqve hanc Ariſt. ſect. 30. probl. 5. ſententiam eſſe contra Huartum aſſerimus.

89. Neqve tumor præter naturam, neqve dolor, neqve color à priori mutatus, neqve excrementa, neqve pulſus; in cæteris affectibus maxima ſigna, hîc qvicqvam valent. Proditur vero memoria læſa, partim ab ipſo ægrotãte, dũ cõqveritur, ſe vel à pueritiâ, vel poſt aliqvem morbum, vel planè non, vel ægrè præteritorum meminiſſe; idemq; à Medicô & aſſidentibus obſervatur & recenſetur.

90. Neqve cauſarum differentias cognoſcere perqvàm eſt difficile; ſiqvidem ſi connata eſt memoriæ imbecillitas, qvod ex ægro aut ejus familiaribus eſt exqvirendum, & capitis figura vitioſa apparet, indicio eſt, eam mali hujus eſſe cauſam. Eadem eſt ratio, ſi à percusſione illa dependeat.

91. A cerebri temperie aliqva ſi malum hoc ſit ortum, à ſomno & capitis excrementis, indicium ſumitur.

92. Somnus enim à vaporibus humidis & frigidis ortus

de

cerebri humiditate & frigiditate, atqve propter oppoſitorum naturam de caliditate & ſiccitate non poteſt non teſtari.

93. Excrementorum copia per nares & palatum emiſſa, gravitas qvoqve capitis ac dolor gravativus, nec non ſenſuum ac motus qvædam noxa; frigiditatem humiditati junctam: frigiditatem cum ſiccitate eorum paucitas; Frigiditatem ſolam moderata eorum qvantitas oſtendit.

94. Cauſis hisce probè cognitis de eventu hujus affectus judicium erit promtiſſimum.

95. Incurabile, per ſe tamen non lethale eſt hoc malum, ſi ſit à parentibus contractum & connatum; ſive ob ſubſtantiam cerebri, ſive ob conformationem, ſive ob magnitudinem vitium inhæreat.

96. Incurabilis eſt memoria qvæ ob ſenectutem, & qvæ ob inveteratam apoplexiam læditur.

97. Si non incurabilis, curatu tamen difficillima eſt, à malignis morbis, venenis & philtris, qvin & ab unitatis ſolutione, & concusſione inſigni dependens oblivio.

98. Ab intemperie ſive ſimplici ſive compoſita proveniens oblivio, cum vel ſine materia, curabilis qvidem eſt, ſed & ipſa difficulter. Et qvidem, ſi ingentem ſiccitatem & nativi humoris defectum ſeqvitur perqvam difficilis ejus erit cura.

99. Non eſt, qvod vel incurabilis hujus mali, vel qvod in morbis gravioribus apoplexiâ, lethargô & aliis accidit, indicationes venemur: cum ſinguli morbi prolixâ tractatione egeant. Illius tantùm Oblivionis, qvæ aliâs non ægrotantibus, ſed alioqvin ſanis evenit, indicationes deducemus.

100. Intemperies qvævis Oblivionis cauſa exiſtens ſine materia ſolam alterationem contrariam, intemperies cum materiâ etiam evacuationem indicat: calidi nativi & ſpirituum abſumtio inſtaurationem & roborationem nobis præcipiunt.

101. Intemperies cerebri frigida ſine materiâ ſolâ licet alteratione contrariâ per calida curetur; attamen ſi impurum corpus fuerit, ne calefacientia & caput petentia medicamenta materiam ſecum abripiant, evacuatio, huic humorum præparatio & excrementorum eluitio præmittenda. Atqve hoc non tantum in frigidâ, ſed etiam

in qvavis aliâ intemperie, idqve potiſſimum qvando materiam conjunctam habet obſervandum putamus.

102. Sennert. Pract. Med. Lib. 1. p. 1. c. 5. Clyſteres nunqvam in morbis capitis prætermittendos rectè cenſet; qvod non tantùm fumos & vapores revellant, ſed etiam à cerebrô ipsô conſeqvutione qvadam attrahant.

103. Corpore à cacochymiâ liberatô calefacientia ab initiô & in recẽti affectu leviora, in inveteratô fortiora ſunt adhibenda. Inprimis vero ex ſimplicibus internis cerebro confortando ſimul & calefaciendo inſervient, folia & fl. Roriſmar. meliſs. major. fl. lilii convall. Rad. & ſem. Pœoniæ.

104. Aromata ferè omnia, inprimis vero nux moſchata, macis. Cubeb. Calamus aromaticus Avicennæ, Zinziber cõditum Raſi, &c. probantur. Thuris maſc. ſeu Olib. vel per ſe vel cum vino aut aqvâ convenienti, ℈ ß. freqventer adſumtum. Caſtoreum, moſchus & Zibetum.

105. Externè unà cum prædictis commodè adhiberi poſſunt folia Verbenacæ, lauri, nicotianæ, aſari, abſinthii; Rad. aſari; flor. Chamæm. melil. & alia. Vid. Senn. Pract. Med. l. c. Ubi non tantùm ſimplicia, ſed & compoſitorum medicamentorum formulas varias deſcribit.

106. Eadem vero Cura inſtituenda eſt in intemperie humidâ ſimplici, qvæ ſiccantia reqvirit auxilia. Poſſunt autem illa ferè eadem eſſe, cum prioribus; qvia, qvæ calefaciunt, etiam exſiccant. Ubi tamen accurata ratio habenda, humiditas in calidô magis, an in frigidô cerebrô exiſtat. Sola enim rarò exiſtere ſolet. Si ad frigiditatem magis inclinet cerebrum, calida ſola ſufficere poſſunt. Ad caliditatem verò magis ſi propendeat cerebri conſtitutio, aut calidis frigida ſunt admiſcenda, aut calidis temperatis eſt utendum.

107. In ſicca intemperie ſimplici, ſi corpus priùs ab humorib⁹ impuris fuerit liberatum, corpus & cerebrum humectandum eſt cibis evchymis & ſucculentis, qvi hecticis conveniunt. Si ab evacuationibus immodicis, Venere inprimis, peſte hujus mali, lucubrationibus & exercitiis immodicis, animi affectibus, vigiliis &c. intemperies originemtrahat; ab iis abſtinendum; atqve qvieti, animi exhilarationi & ſommô indulgendum eſt largius.

108. Com-

108. Commendantur in hac intemperie, Conſerva fl. vel rad. Borraginis, Bugloſsæ, Cichorii, Betonicæ, Capilli Veneris. Cranium corporis humani uſtum. Horſt. diſp. 1. de Memoriâ bonâ conſerv. fide dignorum ac ſua qvoqve experientia conſtare affirmat, flores & folia Borraginis in vinô (qvod qvidem, in ſiccâ intemperie non conducit) cereviſiaq; infuſos, memoriam firmam in multam usqve ſenectutem conſervare.

109. Lotio capitis ſimul & pedum maximè eſt proficua. Poterit autem præparari ex decocto capitis & pedum Vervecis, in qvo herb. Borraginis, Bugloſs. Violarum, flor. Roſarum, Betonicæ decoqvantur.

110. Ablutô capite inungi illud poterit, oleô viol. amygd. dulcium, pingved. anatis, qvibus lac muliebre & album ovi addi poteſt.

111. Ex his facilè patet qvomodo intemperies capitis compoſita ſine materiâ ſit corrigenda. Adhibenda nempè ſunt medicamenta, utriqve qvalitati excedenti oppoſita. Si intemperies ſit in gradibus par; medicamenta talia qvoqve eſſe debent. Si vero una alteram gradibus excedat, excedentis major erit habenda ratio.

112. Materia, humor vel vapor, cum temperie, ſive ſimplici ſ. compoſita conjuncta ſit eamqve excitet & foveat, omnium primò, non tamen ſimul atqve ſemel, ſed ſucceſſivè evacuanda & diſcutienda. Anteqvam tamen purgatio inſtituatur, humores capitis frigidi calefacientibus, ſiccantibus & attenuantibus; Humores melancholici moderatè calefacientibus, humectantibus, ac attenuantibus ſunt præparandi. Atra bilis, multum humectantibus & attenuantibus; flava deniqve bilis refrigerantibus & humectantibus eſt præparanda; habito ſemper reſpectu intemperiei, & partis materiam ſuppeditantis.

113. Præparatione humorum in corpore universô factâ, purgatio ritè ſuſcipi, & capitis roboratio fieri debet.

114. Ponamus ab intemperie cerebri humidâ, qvæ pituitam conjunctam habet, memoriam læſam eſſe cuidam: excrementa evacuanda cenſemus clyſtere, ex herb. Malvæ, Altheæ, Parietariæ, Betæ, Mercurialis, Beton. Salv. Hyſop. an. M 1. fl. Chamomillæ, Meliloti, Sambuc. Lavandulæ an. p. 1. Furfur. p. 1. Semin. Fœnic. carvi an. ℥ iij. decocto, in qvo ſucci Mercurial. ℥ j. mellis ℥ j ß. olei rutacei

℥ij. Bened. laxat. vel Hieræ alicujus fortis ℥ ß. Salis ʒ j. diſſolvantur.

115. Præparandos humores putamus calefacientibus benè odoratis, Betonicâ, ſalviâ, hyſſopô, meliſſâ, Roriſmar. qvi ut & ejus flores memoriã inſigniter roborant; Radice Ireos, Acori veri, Enulæ campanæ; Pyrethro, qvod & ipſum memoriam valdè juvat, Zinzibere, Sinapi & aliis. Cinamomo & nuce moſchatâ: Poſſunt autem hæc vel in aqvâ, vel in vinô coqvi; vel tantùm vini infuſio fieri.

116. Præparatis humoribus, purgatio inſtitui poteſt, phlegmagogis, Agarico, turbith. trochiſc. alhand. pilulis cochiis, aureis, & aliis. Caſtoreum cochiis vel aureis additum pilul. peculiariter confert. Locum hîc inveniunt Caputpurgia dicta Medicis, maſticatoria nimirum gargariſmata & Errhina.

117. Confectio anacardina, confectio ſapientum dicta Meſuæ, qvod bonam faciat memoriam, Alchermes, ad roborãdum caput & confortandam memoriam, cumprimis adhibentur, earumqve uſus in hac & frigidâ temperie cerebri eſt ſecurior.

118. Hercules Saxoniæ lib. 1. Pract. Med. c. 6. f. in uſu habuit rotulas; ex nuc. Moſcat. n. ij. caryoph. n. vi. lign. aloës ʒ j. Sacch. fin. diſſol. in aqva major. q. ſ. factas.

119. Variæ ex roborantibus illis à pharmacopæis formulæ præparari, poſſunt, pro ægrotantis cujusqvam deſiderio, electuaria, pilulæ, infuſiones, aqvæ ſtillaticiæ, lixivia, olea, cucuphæ & pileoli.

120. Amuleta qvoq; juvare dicuntur: Ametiſtus; Rhaſes upupæ Lingvam ſuſpenſam oblivionem tollere exiſtimat.

121. Theriacam & Mithridatum in hoc affectu uſurpare qvibusdam placet; aliis verò propter opium, qvod ſenſus ſtupidiores faciat, & langvidiores, improbantur.

122. Decoctô ligni ſaſſafras cum majoranâ beton. ſtœch. & aliis cephalicis peculiaris qvoqve in hoc morbo vis attribuitur.

123. Sinapiſmi & veſicantia adhiberi hîc qvoqve poſſunt. Cauteria tam potentialia, qvam actualia ad avertendam humidam & pituitoſam materiem in cerebro collectam Aegin. lib. 3. de re med. c. 11. ad nucham applicanda cenſet. Atqve hæc de Oblivionis curâ ſufficiant. Cum ex his, qvid in aliis intemperiebus, faciendum omittendúmve ſit, facili conjecturâ poſſit colligi.

124. Cum verò, ut contraria contrariis curari, ita qvoqve ſimilia ſimilibus conſervari conſtet: Memoriam, qvæ cerebrum temperatè calidum & ſiccum, ſpiritus qvoqve lucidos ac claros reqvirit, debitâ ſex rerum non naturalium adminiſtratione in vigore ſuo conſervari poſſe ſumus perſvaſi.

125. Aër ergò ſit liberior, purus & lucidus, non craſſus nec denſus, nec nebuloſus, & cæteris qvalitatibus temperatus.

126. Cibus εὔχυμος καὶ εὔπεπτος juſta qvantitate & tempore convenienti prægreſsâ exercitatione aſſumatur. Potus ſive vini ſive cereviſiæ aſſumto cibo reſpondens, fecibus careat, & finiatur cum prandiô & cœnâ. Improbatur potus qvaliscunqve vel ex aqvâ puteanâ, vel ex glacie, vel ex ſale nitri frigidior. Crapula & ebrietas memoriæ hoſtes cane pejus & angve vitentur.

127. Somnus nec ſit nimis longus neqve meridianus; neqve ſub diô, neqve ſtatim à cœnâ ſuſceptus.

128. Exercitia corporis vehementiora vitentur. Mediocria ante prandium vel cœnam ſuſcipiantur. Animi exercitia & meditationes profundiores manè ſuſcipiantur, earumq; relaxatio fiat pedetentim.

129. Alvus, ſit aperta, atqve cæterarum concoctionum excrementis exitus liber pateat. Venus ſit caſta & modica.

130. Animi affectus lætitia & cupiditas, qvia ſpiritus excitant, concedantur moderatæ. Ira & triſtitia Spiritus effundentes & ſuffocantes maximoperè vitentur.

Qvodq; primum eſt omnium & ultimum:
De prece principium, de prece finis erit.

PROBLEMA:

An memoria poſſit depravari, nec ne?

Cre-

CReſcentis ſcapulis cùm Doctoralis epomis
ITTIGII pingit: volvo ea corde meo:
Stat verbum immotum Sapientis: Pulchra laborem
Subſeqvitur merces, ſit pede tarda, bonum.
Nam ſtudium, pietas, per rara modeſtia, candor
NOSTRI ſolſtitio eſt clarior aurimico.
Si forſan neſcis, lege tmemata docta, leonem
Ungvibus ex iſtis cerne, dabisq́; manum.
Parca memor nomen ſolido ex adamante tabellis
Inſculpſit, qveat ut ſolvere nulla dies.
Aurea qvin etiam denſo glomeramine fila,
Qvalia vita, ſalus, nevit amica colo.
Aſſurgens grator, cùm ſint communia nobis
Gaudia, & his titulis commoda mille precor.

Sap. c. 3.
Gute Arbeit giebt herrlichen Lohn.

Et ita ſummis Excellentiſſimi Domini Doctorũ honoribus gratulabatur

M. HIERONYMUS KROMAYER,
S. S. Th. Bacc. & Phil. Fac. Aſſeſſor.

HÆc ſacra, Mnemoſyne, ne faſtis excidat unqvam
Laurea Doctorum ſuſcipe Diva, precor.
Aeternisq́; tuis altaribus inſere, qvalem
Jam ſe propitiam jungit Hygeia tibi.

M. J. Strauch.

FINIS.